HIERONYMUS

Admont (?), 1. Hälfte 12. Jh.

Seite 100r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift

to atque mensura singula conplebuntur. et usque in generationes
sempiternas suum ordinem non relinquent. Hec iuxta hebraicam ex
planationem historice dicta sint. ceterum qui tropologiam se
cuntur expulso populo iudeorum sub bestiarum et portentorum
nominibus idolatriis et uariis superstitionibus seruientes in
ierusalem habitaturos esse confirmant. et hos esse onocrotalos
et ericios ibin et coruum dracones et strutiones. et onocentau
ros. et demonia et pilosos et lamiam que hebraice dicitur lilich.
et a solo symmacho translata est lamia. quam quidem hebreorum
erinun idem furiam suspicantur. Et reuera si consideremus
de diuersis gentibus adductas ierusalem colonias. et iuxta ritum
prouinciarum suarum singulas familias propriorum demonum colu
isse portenta. hec omnia in ierusalem habitasse firmabimus.
Quodque lxx transtulerunt ibi obuiauerunt sibi cerui. et uiderunt
facies suas numero transierunt unus ex ipsis non periit. nec quesi
uit alterum. dominus enim precepit eis. et spiritus eius congregauit eos. et ipse
dedit sortes eis. et manus illius diuisit eis ut pascantur in sempiternum
et possedeant in generatione generationum. et requiescant in
ea sic allegorice interpretabimur. ut doceamus ceruos idem apostolos
sanctos quosque doctores. de quibus scriptum est sicut ceruus desiderat
ad fontes aquarum. ita desiderat anima mea ad te deus. et alibi
uox domini perficientis ceruos et rursum ceruus amicicie et pullus
gratiarum tuarum loquantur tibi. et in iob custodisti autem menses
ceruorum. et partus earum emittes. et in cantico canticorum simi
lis est patruelis meus capree. uel hinnulo ceruorum super montes
aromatum. obuiasse sibi in ierusalem et mutuos uidisse conspec
tus. et transisse ac reliquisse eam. et ad diuersas prouincias perex
isse. quia dominus mandauerit eis. ite docete omnes gentes bapti
zantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. et spiritus illius congre